



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE SAECULORUM DECURSU TEMPLUM CATHEDRALE S.  
STANISLAO KOSTKA DICATUM IDEMQUE  
IN LODZENSI LOCATUM URBE AD GRADUM EVEHITUR BASILICAE MINORIS Ad perpetuam rei memoriam. –  
Saeculorum decursu sanctos caelites quantopere coluerit fidelis populus, satis ostendunt cum multa cetera, tum  
innumera per orbem terrarum tempa. Quae res omnino ab Ecclesia probatur, quin immo fovet, cum ipsi hominum  
suscipiant apud Deum validum patrocinium. Volentes libentesque igitur Venerabilis Fratris Ladislai Ziółek, Episcopi  
Lodzensis, satis facere postulatis censuimus, qui mentem quoque significans cleri fideliumque efflagitavit ut cathedralem  
aedem, S. Stanislae Kostka dicatam, in sua dioecesi sitam, in urbe scilicet Lodzensi, titulo ac dignitate Basilicae Minoris  
ornaremus. Nam templum istud quamvis ineunte hoc saeculo conditum, magnum habet pondus estque veluti columen  
fidei erga gentes quae circa sunt atque assidue frequentatur. Itaque ea rata habentes quae Congregatio de Cultu Divino  
et Disciplina Sacmentorum statuit, factis quondam a Nabis facultatibus, Apostolica Nostra usi auctoritate, cathedrale  
templum quod supra memoravimus in numerum referimus Basilicarum Minorum, addimus pariter iura ac privilegia quae  
cum id genus sacris aedibus nectuntur, dum memoramus Decretum servandum «De titulo Basilicae Minoris» die VI  
mensis Iunii editum, anno MCMLXVIII. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. Pro explorato tandem habemus  
fidem christianamque actionem inibi florere, sed hac concessa dignitate ubiores fructus fore ut gignantur vehementer  
speramus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Decembris, anno MCMLXXXIX,*  
*Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria  
Editrice Vaticana

---